Mr Bordmans Trin Sonn: Stratford

Mr Franks Pem

Mr Fruitmans Chris

Mr Bearry Trin Perpetuus

Mr Alsop Christ procur Moderator

Insecta animalia habent beneficium phantasiæ.

HÆc insecta vides, magnus quæ parva creavit
Et non incerto singula fine Deus?
Hæc sensu exteriore putas pollentia solo?
Atque opus internum, phantasiámque negas?
Non sic: interior solertia regnat in illis,
Et gaudent sensûs nobilioris ope.
Credis apes cives florum genitoris Hymetti,
Dædaleas flavi nectaris artifices,
Imperio quarum respublica ficta Platonis
Cedat, dum belli ac munia pacis agunt,
Has tam prudentes uti phantasmate nullo?
Non potiùs magnæ vis rationis inest?
Ecce! laboratas protendit aranea telas,
Formatrixque domûs ingeniosa suæ est:
Interno sensu caret hæc, quæ mente volutat
Et muscam, & casses nocte diéque suos?
Sed neque formicam taceo, quæ præscia brumæ
Innumera æstivo sydere grana legit.
Sint insecta licèt, non vi phantasmatis orba,
Ut solers operum cura, labórque probat.

Voluntas non appetit impossibile.

QUicquid patentis ambitus terræ capit,
Natura vasto quicquid includit sinu,
Variique nexus orbium trepidantium,
Humana quicquid ratio discursu vago,
Aut vaniori somnio fingit sibi,
Voto petentis id voluntatis subest:
Nihílque Dominæ nobile imperium fugit,
Nihil quod *entis* asserit nomen sibi,
Nihil quod esse, sit licèt nondum, potest:
Et esse quamvis nequeat, hoc sæpe appetit,
Et claudicanti debilis voto cupit:
At nomen *Impossibilis* exutum est priùs,
Speciémque fictam possibilitatis dedit
Astuta ratio: cogere neque enim valet
Semet voluntas, irrito ut conamine
Eligeret impossibile, quà tale est; neque
Dictare prudens hominis hoc ratio solet.

[1634].

Mr. Alsop [John Alsop Proctor 1634].
Mr. Shute [Christopher Shute MA 1634].
Mr Wyat [Dudley Wyatt MA 1635].
Mr wiley [Thomas wylye MA 1633].
Mr. Freeman [Richard Freeman MA 1634].
Mr Frank [Mark Franck MA 1634].
Mr. Jailor [prob Jeremy Jaylor MA 1634].
Mr. Boreman [prob Boreman or Bowman, Robert M.A. 1635].